

## 48 Vita S. Franc. de Paula

suum consecrarent, absque eo quod de modo , quo ipse interviret Domino , cogitarent . Utique toto tempore vitæ suæ Domino se dedit Franciscus ; viâ tamen illâ , quam interius Spiritum Sanctum ei ostendisse credendum est , & quam etiam respexit Parentes ejus , Divinæ voluntati se conformantes , non dubitamus .

VII. UNUM TANTUMMODÒ HABUIT OCULUM) Hæc addit Papebrochius: Potius alterius oculi visus, labecula super natâ impeditus , dici debuerat . Et verum ait ; Omnes enim vitæ Francisci nostri Scriptores in eo consentiunt , ut afferant , post ipsius nativitatem sinistro oculo morbum accidisse . P. Victor causam etiam reddidit , sed ex quo hauserit monumento , nescimus . Ait ipse lib. i. cap. i. Vitæ , & Miraculorum S. P. Francisci de Paula : Nam dum pia Mater Vienna pro congenita φιλοσοφίᾳ profusis uberibus lac fugendum ipsamet subministraret , deprehendit protuberantem ad oculum sinistrum carnem , unde periculum effet , ne brevi optica facultate orbaretur . Quod pia Mater propriis uberibus lac fugendum filio suo dederit , Scriptor noster affirmat : Et bona Mater cum tenerè nutritivit propriis mammillis , ut illi infundaret bonam indolem . Sed quod profusis adeo uberibus dederit , ut morbum ei in sinistro oculo causaverit , præter Victorii assertionem , alterius testimonium desideraremus .

P. de Longobardis legit ; Visu carebat ; & annotationem deinde faciens , subdit hæc tantum verba : Quia tuber ad oculum ex maligno humore creatum lumen ademerat . Sed noxâ statim depulsa precibus ad S. Afflatum fuisse , habet tamen tenue illius vestigium ad miraculi memoriam . Sed lectionem hanc ipsi arbitrariam dicimus , dum pro lectione nostra exemplaria omnia concordant . Gallicum MS. habet : Et quand il naquit du ventre